



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,  
Nunquam Edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1601**

Epistola XXXVI. Filio meo charissimo Alta Petra, Albinvs Salvtem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)

## EPISTOLA XXXVI.

Filio meo charissimo Alta  
Petra,

ALBINVS SALVTEM.

**M**tinam iuxta nomen tuum, fiat merces tua alta, & firma. Hoc verò, vt, DEO donante, fiat, labora instanter. Curre, dum lucem habes. Ascende quotidie per singulos gradus virtutum, vt de te dici possit. Ibunt sancti de virtute, in virtutem: vt, quod sequitur, fiet possit hoc, vt à te videatur DEVS deorum in Sion.

Psal. 83.

Vigiliis, & orationibus instans; castitate & humilitate dilectione DEI, & proximi, & aliorum mandatorum obseruatione te ipsum exorna. Quæ tamen omnia ad charitatem firmamentum respicient: in qua tota lex pendet, & propheta. Si nondum adhuc annis, ordine tamen sacro ministerio senior esse cœpisti. Nam presbyter, senior in latine interpretatur, vt significetur moribus esse senex, constantia perfectus, prædicatione verbi DEI intentus, ita vt operum impleat, quod ore doceat.

Tu verò, fili charissime, vigilanter tibi præpara boni meritis domum perpetuam in cœlis. Modò tempus est laborandi, & promerendi Dominum: tunc erit tempus dicandi, & promerendi DEVM. Quia tunc iudicabit vnusquisque secundum opera sua. Non tibi sit seculi pompa suauior, quàm salus æterna: nec dilectio carnalis dulcor, quàm dilectio DEI. Qui hinc DEVM diligit, ibi cum DEO etiam lætabitur. Quàm iocunda est beatitudo æterna, quàm misera perditio sempiterna. Qualis in vita futurus fieri velis, talem te præpara in præsentem. Parui temporis hospes perpetuam tibi promerere mansionem. Hode



te cōgita cras esse moriturum. Omnis dies quasi ultimus est habendus. Ideo semper homo debet esse paratus, ut quacunque die iudex pulsauerit ostium, aperiatur ei. cum lætitia rapiatur ad inalicium anima dum ducetur de corpore.

Quid tunc ebrietas; quid luxuria carnalis; quid pompa vestimentorum: quid anulus in digito: quid aurum in sacculo? Diues moritur similiter sicut & pauper, & vna est amborum conditio. Nisi fortè quis melior altero sit. Bonus vadit in vitam sempiternam: Impius tormentis traditur æternis. Esto filius vitæ, & non mortis. Esto hæres cœli cum Christo, non esca ignium cum diabolo. Per singulos dies semper esse melior studeto, ut cum DEO semper esse merearis.

Saluta meo nomine illos DEI famulos, amicos nostros, filios vitæ æternæ. Rogo eos, nostri esse memores in orationibus suis cum familia sua, quam diligenter in seruitio DEI erudiunt: quatenus mercedem ex illis habeant, & non pœnam: laudem, & non contumeliam. quia profectus subiectorum, salus est prælatorum: & pastor bonus, ex gregis multiplicatione coronabitur. Et tu, fili mi, memor esto mei, & tui in orationibus, ut diuina nos

clementia perpetuo munere, in salu-

te sempiterna conseruare di-

gnetur. Vale, vale fili in-

æternum.



DECANVS  
SII  
SIV  
24